

Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem
libros partitum**

Marulić, Marko

Coloniæ, 1532

VD16 M 1298

de patientia calumniæ. ca. 13.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35578

pater sic facio. Christus itaq; dominus noster factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & deus exaltauit illum. Si ergo cum Christo exaltari cupimus in gloria, cum Christo prius prosternamur in humilitate, deo ante omnia obediendo, deinde in hominibus illis, quorum iussa exequentes domino seruimus. Illorum voluntatem nostræ voluntati semper præferamus.

¶ De patientia calumniæ. Caput XIII.

Profecto si humiles, si obedientes fuerimus, erimus etiam in omnibus patientes. Nihil erit quod illius turbare mente in poterit, qui se totum dñi nae subdiderit voluntati. Non igitur incongruum erit si nunc de patientiæ virtute verba fecerimus. Patientia est animi quedam constantia, quam nec iniuriæ irritare, nec incommoda queunt frangere. Patientia semper iuncta fortitudini est, ita ut mutua inter se ope conexæ, & iniurias quidem submissæ ferant, & aduersa alacriter tolerent. Hoc totum autem qualemque sit, vni nunc concedamus patientiæ, quandoquidem tam hominum iniurias, quam casus aduersos pati dicimur, cū acciderint. Primum igitur vt in omnibus patientiam conseruerimus, meminerimus, nullū omnino ea in re malum esse, qua non offenditur animus noster. Quid est autem quo ille offendit queat, præter peccatum? Solum ergo peccatum cauendum nobis erit, quia malum est. Cætera quæcunque contigerint, æquo animo ferenda, q; nec bona, nec mala sunt, sed inter bonum malumq; media, quibus si applicueris virtutem, bona erunt: sin vitium, mala quidem. Veluti aquæ potus cum vinum additur, sapit; cum venenum, interimit. Ita sane aduersis rebus quoties animi patientiam accommodauerimus, non solum non nocebunt, sed etiam proderunt, ita ut materiam nobis suppeditent sperandæ beatitatis. Apostolica quippe sententia est, per multas tribulationes eportere nos introire in regnum dei. In psalmo quoq;

patientibus dicitur; Surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris. Breue est quod partimur aeternum quod speramus. Ideo Ecclesiasticus ait: Vsque ad tempus sustinebit pariens, & postea redditio iucunditatis. Et Apostolus: Existimo (inquit) quod non sint condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae reuelabitur in nobis, quamobrem idem exclaims, & ait: Quis nos separabit a charitate CHRISTI tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Patienter ille quidem talia pertulit pro Christi nomine, nunc cum Christo bonis fruitur sempiternis. Quid ergo tam graue, tam triste atque acerbum esse potest, quod non sit libenter sub eundum proposito tanto premio. Si persecutione inquietaris, audi dominum dicentem: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Si verbis petulantibus lacesteris, Beati estis (inquit) cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me, gaude te & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in celis. In preferendis igitur calumniis imitemur Moysi manu suetudinem, pro illis a quibus procaciter iactatus fuerat. Sollicitus oravit, precibusque eius annuens dominus Mariam quae de illo immodestius oblocuta fuerat, lepra exhalceratam sanitati restituit. Imitemur Saulis aequanimitatem, qd iam rex creatus cum ab iniidis probro afficeretur, dissimulauit se audire, & stipatores suos qui vlcisci volebant iniuriam, prohibuit quidem, abstinuitq; vindicta. Imitemur & Davidis humilitatem, qui Semeini non medo maledictis, verum etiam lapidem iecu se prouocantem laedi vetuit, atque in offensum dimisit. Cum enim filij Absalonis premeretur seditione, Forte (inquit) respiciet dominus afflictionem meam, & reddet mihi bonum pro maledictione hac. Imitemur et Sarai Raguelis filiam, quae quoniam antequam ducta esset, septem maritos amiserat, ab ancillis interfecitrix virorum suorum inique compellabatur, earum tamen peccantiam tacita sustinuit, tantum dominum precans, ut

Rom. 8

Ibidem

Mat. 5.

Moyses.

Numer. 17

1. Reg. 10

& 11

Saul.

2. Reg. 16.

David

Ie ista contumelia liberaret, exaudita octauo viro de-
sponsatur, Tobiae iuniori, dominoque fauente cum illo
feliciter vixit. Tu quoq; beatus eris, & preces tuæ ad au-
res domini sabbaoth peruenient, si cum psalmista dice-
re poteris: Qui inquirebant mala mihi locuti sunt va-
nitates, & dolos tota die meditabantur, ego autem tan-
quam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperi-
ens os suum, & factus sum sicut homo non audiens, &
non habens in ore suo redargutiones, quoniam in te
domine speravi, tu exaudies me domine deus me-
us. Sic certe exaudita est Chananea mulier pro filia
supplicās, quando canibus comparata humili responso
intimam cordis patientiam indicavit.

De patientia persecutionis.

Caput. XIII

Pauli apostoli, in quo Christus loquebatur, senten-
tia est: Omnes qui pie volunt vivere in Christo
Iesu, persecutionem patientur. Quid ergo de alio
rum inuidia querimur, si ea ipsa testis est nostræ in de-
um pietatis ac religionis? Dominus noster Iesus Chri-
stus malorum inuidiam passus est. Cum ab hominibus
expelleret immundos spiritus dixerunt: In Beelzebub
enicit dæmonia. Idem sola verbi virtute morbos curat
mortuos suscitat, & aiunt: Non est hic homo a deo qui
sabbatum non custodit. Si ergo pro benefactis male au-
dit iustus & innocens dominus, quare cum detractores
accipit, trascitur peccator seruus? Ille apostolis suis dice-
bat: Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis
odio habuit; si de mundo fuissetis, mundus quod suū erat,
diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi
vos de mundo, propterea odit vos mundus. Quoties er-
go patimur quæ in carne passus est dei filius, quæ passi-
funt electi servi eius, æquo animo toleremus. Non est
seruus maior domino, aut fateamur nos, qui multorum
criminum consciū sumus, indignos esse iniuria, & illum
dignum qui peccatum non fecit vel illos qui spiritus an-
imo repleti erant, & tamen infestationibus impiorum

psal. 57

Mat. 15
Chananea

2. Tim. 3

Mat. 12
Ioha. 2

Joh. 15